

publicum, commune, Ecclesiasticum: certè ne Luthe-
ro quidem licebat privato ausu mutationem ejus
suscipere: vel ab alio quoquam institutam, suo cal-
culo illam approbare.

103. Sed nec in Philippo quidem Lutherum fa-
ctum hoc probasse, crebra illa demonstrant exhor-
tationes, quibus ipsum, ut ab bujusmodi mutatio-
ne atq; auctione abstineret, graviter ac serio ad-
monuit: verbis istis, non certè approbandi, sed im-
probandi vim habentibus: Quis tibi hoc
mandavit Philippe? wer hatt dir sol-
ches befohlen? Hist. Conf. Lat. p. 365. &c?

104. Deindè à reliquis Ecclesiae membris mu-
tationi huic reclamatum non fuisse nemo affir-
mabit, nisi qui mendacij arguere testes publicos o-
mni exceptione majores, imò publicis tabulis &
commentarijs principum ac Rerumpublicarum si-
gillis confirmatis, fidem omnem nefariè derogare
ausus fuerit.

105. An non reclamatum fuit, cum eo ipso sta-
tim anno 41. in colloquio Ratisbonensi, Philippus
publicè ac solenniter editionem posteriorem exau-
torare, & in decimo Articulo restituere ac redin-
tegrare debuit ea, quae prius privato ausu expun-
xerat? Hist. A.C. p. 453. T. 4. op. Phil. pag. 736.

106. An non reclamatum fuit, cum inclytus Sa-
xoniae Elector Iohannes Fridericus de muta-
tione ista admonitus, per D. Pontanum Cancellarium,
Philippum hoc nomine obiurgari curavit; his
in medium adductis rationib. 1. Quia Philippus hoc
C 2 fece.

Hist. A.C.
fol. 364.